



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Disp. II. De scientia possibilium,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

*existentia videndo creat, existentia videndo con-
tinet. Quicquid ergo creator non videt, essentia
subsistendi caret. Sed de hoc fusè, cum de causa-
litate scientiæ Dei disseremus.*

*Disputatio
arti. 1.*

Denique Dei scientia, angelicam & humanam superat, ratione entitatis: Nam scientia in Deo non est accidens, sicut in nobis; nec aliqua qualitas ei superveniens & superaddita, sed ipsamet Dei entitas & substantia increata, cum esse Dei sit ejus intelligere. Unde præclare Synzeius libro de insomniis: *Deo sola ad cognoscendum natura sufficit.* Et Augustinus 7. de Trinit. *Deo hoc est esse, quod sapientem esse.* Hac etiam de causa Maximus Tyrius apud Euthimium in Panoplia, Deum neque intelligentem propriè, neque intellectionem dici patitur, etiam hoc posterius fatius esse putat illi concedere. *Deus* (inquit) *neque intelligens dicitur propriè, neque intellectus, ne compositus existimetur. Nam & quod intelligens est, secum unà consideratam habet intelligendi facultatem; & quod intelligitur, ad hoc ipsum ut intelligatur eandem habet facultatem. Sed neque intellectio dici potest. Nam intellectio naturam suam habet capacem sui substantiam. Quare superest ut supra hæc omnia constituatur. Nisi forte sic illam intellectionem esse dicamus, ut sit ipsum intellectio secundum substantiam, ac totum intellectio, & solum intellectio, & intellectio supra intellectionem.*



DISPUTATIO II.

De scientia possibilium.

Scientia Dei absolute & secundum se consideratâ, eam per ordinem ad creaturas quæ sunt illius objecta materialia & secundaria contemplantur. Et primò differimus de scientia possibilium, quæ *simplicis intelligentiæ* appellatur; acturi postea de scientia futurorum contingentium, quæ *scientia libera*, seu *visionis*, nuncupatur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Virum Deus cognoscat creaturas posibles in sua essentia tanquam in causa?

§. I.

Præmittuntur quæ apud omnes sunt certa, conclusio affirmativa statuitur, & ex SS. Patribus suadetur.

1. **S**uppono primò contra Aureolum, Deum cognoscere omnes creaturas, non solum secundum illud esse eminent, & increatum quod habent in Deo; sed etiam secundum esse proprium, & particulare, quod singulæ in seipsis habent, vel habere possunt extra Deum; subindeque scientiam Dei non tantum terminari ad ipsam Dei essentiam, & ad eminentiam illam omnium rerum creabilium, quam in se formaliter Deus habet; sed etiam ad ipsas res creabiles, quæ in ipso non sunt formaliter, sed tantum eminenter.
2. Probatur primò hæc suppositio ex infinita perfectione divinæ scientiæ, quæ debet se extendere ad quodcumque cognoscibile distinctè & in particulari.

A Secundo, Quia alioquin Deus non cognosceret creaturas, sed tantum suam essentiam: quia creaturæ prout sunt in Deo, non sunt creaturæ, sed ipsa creatrix essentia.

Tertiò, Quia ut dicimus disputatione sequenti, scientia Dei est causa rerum: unde sicut Deus illas producit secundum esse proprium & particulare quod habent in seipsis: ita & illas cognoscit. Adde quod, Deus non posset gubernare res hujus universi in particulari, si illas non cognosceret; nec reddere unicuique secundum opera sua, si singula distinctè & in particulari, non essent ei nota.

B Hoc præsupposito tanquam certo, difficultas est, & gravis controversia inter Thomistas, & Recentiores, de modo quò Deus creaturas cognoscit in seipsis: an scilicet illas cognoscat immediate, & independenter ab essentia divina priùs cognita; an verò solum mediatè, & in essentia divina tanquam in causa, & medio priùs cognito, quod ut meliùs percipiatur.

Suppono secundo: Duplex à Philosophis solere distingui medium ducens in cognitionem alterius: unum *ut quod*, quod vocatur, *medium incognitum*, quale est species impressa, quæ non cognoscitur *ut quod*, sed solum est ratio cognoscendi objectum quod repræsentat. Aliud *ut quod*, quod appellatur *medium cognitum*, quale est speculum v. g. quod priùs debet videri, quam in eo videantur objecta quæ repræsentat.

Suppono tertio ut certum, & ab omnibus receptum, Deum cognoscere creaturas posibles in seipso ut in objecto primario. Patet hæc suppositio, primò quia omnis potentia secundarium objectum attingit ratione primarij, quod est illud in primario aliquo modo attingere: Sed creaturæ sunt objectum secundarium intellectus divini, Deus autem primarium: Ergo cognoscit creaturas in seipso ut objecto primario. Secundo, Cognosci in aliquo ut in objecto primario, est ratione illius ut moventis terminare cognitionem: Sed Deus in cognitione creaturarum non movetur ab ipsis, sed à propria essentia, quæ unitur per modum speciei, tam in sui cognitione, quam in ordine ad cognitionem creaturarum, aliàs divina cognitio dependeret à creaturis, & perferretur ab illis, quod implicat: Ergo cognoscit illas in seipso, ut in objecto primario. Tertiò, Cognosci in alio ut in objecto primario, est cognosci per speciem illius: Sed creaturæ cognoscuntur à Deo per speciem non illis propriam, sed sui: Ergo illas cognoscit in seipso ut in objecto primario.

Solum ergo difficultas est, & celebris inter Thomistas & Recentiores controversia, an Deus in seipso, ut causa prima, & medio priùs cognito, creaturas posibles cognoscat? Hoc enim negat Vazquez hic disp. 60. cap. 2. & 3. quem sequuntur plures ex Recentioribus: affirmant verò Thomistæ, & plures alij, cum quibus

Dico: Deum cognoscere creaturas in sua essentia tanquam in causa.

Probatur primò conclusio ex Dionysio Areopagita, Theologorum Principe, qui apertè tradit nostram sententiam, cap. 7. de divin. nominibus, ubi habet hæc verba: *Neque autem ea quæ sunt ex his quæ sunt discens noscitur divina mens, sed ex se & in se per causam rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiamque anticipatam & antecomprehensam habet, non quod per speciem singula consideret, sed quod uno causa complexum omnia sciat.* Et paucis interpositis addit: *Seipsam*

ergo cognoscens divina sapientia, novit omnia. Hic locus adeo clarus & expressus est, ut plures ex Recentioribus fateantur illum nullam interpretationem posse admittere.

6. Eum tamen conatur interpretari Vazquez, asserendo Dionysium nihil aliud voluisse, quam quod Deus à seipso non à rebus cognitionem accipiat.

Sed hæc interpretatio legitima non est, tum quia Dionysius eo loco expressè loquitur de cognitione creaturarum in essentia divina ut in causa, ut patet ex illis verbis, *sed uno cause complexu omnia noscit*. Unde D. Thomas 1. contra Gent. cap. 49. Dionysium in hoc sensu intelligit, ut constabit ex ejus verbis infra referendis. Tum etiam, quia Dionysius asserit, Deum ex se, & in se, per causam rerum omnium anticipatam habere notitiam: Sed per hoc quod non accipiat cognitionem à rebus, licet salvetur ex se cognoscere illas, non tamen salvetur illas in se per causam cognoscere; Angelus enim à rebus cognitionem non accipit, & tamen propter hoc nequit dici res à se distinctas in se per causam cognoscere: Ergo per hoc solum quod Deus non accipiat cognitionem à rebus, non valentur verba Dionysij.

7. Nec valet quod subdit Vazquez, nempe verba illa, *sed uno cause complexu omnia noscit*, non aliud significare, quam quod unicâ cognitione, seu unico intuitu, Deus cognoscit omnia. Si enim hæc interpretatio valeret, eodem modo esset verum dicere, Deum seipsum uno creaturarum complexu cognoscere; sicut verum est asserere ipsum cognoscere creaturas unico cause complexu: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illa interpretatio potest admitti. Unde merito ait Suarez, Vazquem SS. Patres, ad arbitrium suum, magis quam ad illorum mentem interpretari.

8. Probat secundò conclusio ex Augustino libro 4. de Genesi ad litt. cap. 23. & 24. ubi duplicem creaturarum cognitionem in mente Angelorum distinguit; alteram illarum in verbo; quam *matutinam* appellat; & asserit in ipso, tanquam per illum per quod facta sunt, cognosci creaturas; quod idem est, ac eas cognosci in verbo, ut causa: alteram creaturarum in propria ipsarum natura, quam appellat *vespertinam*, de qua dicit libro 11. de civit. cap. 7. *Cognitio creaturae in seipsa, decoloratior est, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte per quam facta est*. Ergo juxta illius mentem, Angeli beati cognoscunt creaturas in Deo tanquam in causa: Sed Deus perfectius quam Angeli, seipsum ut creaturarum causam cognoscit: Ergo in se ut in causa cognoscit creaturas.

9. Nec magis feliciter interpretatur Vazquez Augustinum, quam Dionysium, dum asserit, Augustinum locis citatis solum velle creaturas ab Angelis beatis cognosci in Deo per cognitionem matutinam, improprie, & secundum esse eminentiale quod habent in illo; quatenus scilicet cognoscitur eminentia divina, seu ipsa creatrix essentia; non verò proprie, & secundum esse formale, ac proprias earum rationes & differentias. Hanc enim solutionem in Tractatu de visione beatifica disp. 4. art. 4. efficaciter confutavimus, tum ex ipso Augustino asserente cognosci creaturam, *per ipsam artem per quam facta est*: creaturam autem solum sunt facta secundum esse quod habent in propria natura, non verò secundum esse eminentiale quod habent in Deo, quod increatum est, cum non sit aliud, quam ipsa

Tom. I.

A creatrix, & increata Dei essentia. Tum etiam ex D. Thoma infra quæst. 58. art. 7. de Angelis beatis dicente: *Non enim videndo verbum, cognoscunt solum illud esse rerum quod habent in propria natura: sicut Deus per hoc quod videt se, cognoscit esse rerum quod habent in propria natura*. Quibus verbis aperte declarat, beatos in verbo cognoscere creaturas, secundum proprias rationes & differentias, & non tantum secundum esse eminentiale quod habent in Deo.

10. Probatur tertio conclusio ex eodem S. Doctore, qui variis in locis aperte docet nostram sententiam, præsertim 1. contra Gentes cap. 49. his verbis: *Colligendo igitur has duas conclusiones, apparet Deum cognoscere seipsum, quasi primò & per se notum, alia verò sicut in essentia sua visa*.

B Quod autem loquatur de essentia sua visa, ut causâ creaturarum, constat: Primò, quia conclusiones illas deductas probat hoc discursu: *Effectus cognitio sufficienter habetur per cognitionem suâ causâ: Deus autem est causa creaturarum: cum igitur essentiam suam plenissimè cognoscit, oportet ponere quod etiam alia cognoscit*. Secundo, quia in ejusdem veritatis confirmationem adducit hæc verba Dionysij libro 7. de divin. nomin. *Non secundum visionem singulis se immitit, sed secundum causam continentiam scit omnia*. Tertio, quia in hac parte quæst. 12. art. 8. expressè docet, beatos videre creaturas in Deo tanquam in causa; sic enim dicitur, *Manifestum est, quod sic aliqua videntur in Deo, secundum quod sunt in ipso: omnia autem alia sunt in Deo, sicut effectus sunt virtute in sua causa: sic igitur videntur omnia in Deo, sicut in sua causa*. Unde cum cognitio beatorum sit exemplata à cognitione quâ Deus cognoscit seipsum, & illam participet & imitetur, manifestum est, juxta Doctoris Angelici principia, Deum in seipso tanquam in causa creaturas cognoscere. Quare Valentinus Herice, ejusdem Societatis scriptor, se valde demirari, ait, *quâto animi conatu commendat Vazquez detorquere D. Thomam in suam sententiam, qui sane, si expressa ejus testimonia attendisset, omnem animi conatum & ardorem deposuisset*.

§. II.

Eadem veritas ratione fulcitur.

11. NOSTRÆ conclusioni non solum favet auctoritas SS. Patrum, sed etiam efficaces rationes illam suadent. Prima sumitur ex D. Thoma hic art. 6. potestque sic breviter proponi. Non potest aliqua causa comprehendi, nisi in ea cognoscantur effectus in illa contenti: Sed Deus est causa continens eminenter creaturas, & seipsum comprehendens: Ergo in se ut in causa omnes creaturas cognoscit. Minor patet, Major probatur. Tunc aliqua causa comprehenditur, quando cognoscitur adæquatè, & omni modo quò cognoscibilis est: Sed non potest cognosci adæquatè, & omni modo quò cognoscibilis est, nisi in illa cognoscantur effectus quos virtualiter in se continet: Ergo non potest cognosci comprehensive, nisi in illa cognoscantur effectus quos eminenter aut virtualiter continet. Major constat, Minor probatur. Causa continens eminenter, aut virtualiter aliquos effectus, potest attingi ut ratio cognitionis illorum: Ergo nisi sic cognoscatur, non cognoscitur adæquatè, & omni modo quò cognoscibilis est.

Bb iij

12. Huic argumento, cui potissimum innititur contra sententiam, respondet Vazquez, negando Majorem, ad cuius probationem, distinguit Minorem, & dicit illam esse veram de causa relata ad effectum, falsam vero de causa omnino absoluta: Deus autem nullam relationem reali potest ad creaturas referri, sed tantum relationem rationis, quae nec à beatis, nec ab ipso Deo confingitur; & ideo non est necesse, quod ut Deus comprehendatur à seipso, vel ut clarè videatur à beatis, in illo ut in causa & medio prius cognito, cognoscantur creaturae possibiles.
13. Sed contra: Ut Deus per modum objecti cognitivi representet creaturas, non requiritur respectus realis ad illas: Ergo ex eo quod absolutus sit à respectu reali ad creaturas, non tollitur quod in illo, ut causa, & medio cognito possint, & debeant cognosci creaturae. Consequentia patet, Antecedens probatur multipliciter. In primis enim Deus (ut fatetur Vazquez loco citato) representat creaturas ut verbum, representatione formali, absque eo quod dicat realem respectum ad illas: Sed non est ratio, cur magis requiratur respectus realis in representante objective, quam in representante formaliter: Ergo ut Deus representet creaturas per modum objecti cognitivi, non exigitur realis respectus ad illas.
14. Secundò, Deus physicè continet creaturas, alias non esset omnipotens; & tamen absolutus est à respectu reali ad illas: Ergo etiam absque respectu reali ad creaturas, continebit illas representativè objective. Patet Consequentia, nulla enim est ratio assignabilis, cur physica continentia effectus, absque respectu reali salvetur, & continentia intentionalis, qualis est continentia objecti representati, realem respectum exposcat.
15. Tertio idem Antecedens probatur ex alia hujus Authoris doctrina: Ille enim docet disputatione citatà, quod licet creaturae non cognoscantur in Deo ut in medio prius cognito, cognoscuntur tamen ex illo: Sed nulla potest assignari ratio, cur requiratur relatio ad esse medium *in quo*, & non requiratur ad esse medium *ex quo*: Ergo absque tali respectu creaturae cognoscuntur in Deo, ut in medio, & objecto prius cognito.
16. Denique, Quod causa ut cognita, objective representet effectum, non provenit ex eo quod in illa imperfectionis est, sed ex eo quod est perfectionis: Sed causam ad effectum referri relatione reali transcendentali, ad imperfectionem pertinet, continentia autem virtualis aut eminentialis pertinet ad perfectionem: Ergo objectiva representatio per modum objecti cognitivi, non convenit causa: quae refertur ad effectum, quia ad illos refertur, sed quia illos in se continet; ac proinde perfectissime convenit Deo hujusmodi representatio, quamvis absolutus sit ab ordine reali ad creaturas.
17. Secunda ratio: Eo modo unum in alio cognoscitur, quò in illo continetur: Sed creaturae continentur in essentia divina tanquam in causa: Ergo in illa ut in causa, à Deo & à beatis cognoscuntur.
- Confirmatur, & magis illustratur hæc ratio. Essentia divina continet creaturas continentia representativà, cum illas manifestet & representet divino intellectui: Sed talis vis & continentia representativa, non potest aliunde ei competere, quam ex eo quod eminentialiter illas continet ut illarum causa: Ergo creaturae representantur & cognoscuntur in essentia divina tanquam
- A in causa. Major patet, Minor probatur. Continentia representativa unius objecti in alio, vel provenit ratione similitudinis, vel ratione dependentiæ, vel ratione continentiae virtualis, seu eminentialis: Sed Deo non convenit representatio objectiva creaturarum, ratione similitudinis, cum infinite distet ab illis, nec ratione dependentiæ, cum sit omnino independens à creaturis: Ergo illas solum representat, representatione fundatà in continentia eminentiali, quæ continet creaturas ut causa.
- Confirmatur amplius: Quia creaturae representant Deum ratione dependentiæ, non possunt ducere in illius cognitionem, nisi cognita ut effectus: Sed Deus representat creaturas ratione continentiae eminentialis illarum, per modum causæ: Ergo nec proprio nec creato intellectui, potest illas representare, nisi cognitus ut causa. Quæ ratione usus est D. Thomas quæst. 2. de verit. art. 4. in corpore.
- Tertia ratio sic potest proponi. Deo, utpote infinite perfecto, attribui debet modus cognoscendi creaturas, omnium perfectissimus: Sed modus eas cognoscendi in sua essentia tanquam in causa, nobilior est & perfectior, quam modus illas cognoscendi immediate in seipsis, & secundum propriam illarum cognoscibilitatem, & veritatem quam vocant *objectivam*: Ergo Deus in sua essentia tanquam in causa, creaturas possibiles cognoscit. Major constat, Minor probatur primo ex Augustino supra relato, dicente: *Cognitio creature in seipsa, decoloratior est, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, veluti in arte per quam facta est.* Secundò ratione, nam perfectius est cognoscere creaturas in veritate prima & increata, quam illas videre ratione veritatis create & participatæ quam habent in seipsis: tantò enim perfectius res cognoscitur, quanto perfectiori medio attingitur, & ad altiorem rationem formalem reducitur: unde cum divina essentia sit veritas prima & increata, ac per essentiam talis, veritas autem objectiva in qua Vazquez & alij Recentiores dicunt Deum cognoscere creaturas in seipsis, sit solum quædam veritas create & participata; perfectius est cognoscere creaturas in essentia divina tanquam in causa, quam immediate in seipsis, & secundum propriam illarum cognoscibilitatem, & veritatem objectivam.
- Quarta ratio: Cognitio quam Deus habet de creaturis, cum sit perfectissima, non solum habet rationem scientiæ, sed etiam sapientiæ: At sapientia est cognitio rerum in causa, & per causam altissimam: Ergo cum Deus sit prima, suprema, & altissima omnium causarum, in seipso, & in sua essentia tanquam in causa, omnes creaturas cognoscit.

§. III.

*Conuelliur præcipuum fundamentum
Vazquezij.*

Præcipuum fundamentum quò Vazquez dicitur ad negandum Deum cognoscere creaturas possibiles in essentia sua tanquam in causa, est quia existimat essentiam divinam non esse intrinsecè connexam, cum creaturis possibilibus. Tum quia (inquit) magis necessarium non potest cum minus necessario connecti: Deus autem, utpote ens à se, magis necessarius est, quam creaturae quæ sunt entia ab alio. Tum etiam, quia non stat

unum intrinsecè connecti cum alio, & non dependere ab illo: unde cum essentia divina sit omnino independens à creaturis possibilibus, non est intrinsecè connexa cum illis. Sic discurrit præfatus Author disp. 54. cap. 6. num. 26. Sed hic discursus non concludit: Ergo præcipuum ejus fundamentum corrui.

22. Minor probatur multipliciter. Primò ex D. Thoma quæst. 2. de verit. art. 3. ad 11. ubi sic habet: *Dicendum quòd quamvis si à linea diminuatür punctus in actu, nihil deperat de linea quantitate; si tamen diminuatür à linea quòd non sit à puncto terminabilis, peribit linea substantia. Similiter etiam est de Deo: non enim aliquid Deo deperit, si ejus creaturæ ponantur non esse; deperit tamen perfectioni ipsius, si auferatur ab eo potestas producendi creaturam.* Sed si creaturæ modo possibles redderentur repugnantes, auferretur à Deo potestas producendi creaturas: Ergo periret aliquid perfectionis ipsius, & consequenter Deus, ratione suæ perfectionis, est intrinsecè connexus cum creaturis possibilibus. Quod etiam ratione suadet: Nulla potentia potest existere sine suo objecto, ac proinde habet cum illo necessariam connexionem: Sed objectum omnipotentiae est ens possibile, sive creabile, ut docet idem S. Doctor infra quæst. 25. art. 3. in corp. Ergo si nulla creatura foret possibilis, non esset in Deo omnipotentia, ac proinde illa est essentialiter connexa cum possibilitate creaturarum.

23. Secundò probatur eadem Minor principalis, & magis declaratur inefficacia fundamenti propositi. Magis necessarium potest cum minùs necessario, ab intrinsecò connecti: Ergo quamvis Deus sit magis necessarius, quàm creaturæ possibles; non sequitur ipsum intrinsecè cum illis non connecti. Consequentia patet, Antecedens probatur. Veritas principiorum est magis necessaria, quàm veritas conclusionis, ut ex Aristotele docent communiter Logici, & tamen illorum veritas est intrinsecè connexa cum veritate conclusionis; aliàs in recta demonstratione possent præmissæ esse veræ, quamvis conclusio esset falsa: Ergo magis necessarium potest intrinsecè cum minùs necessario connecti. Et ratio à priori est, quia eo ipso quòd unum est necessarium à se, & alterum necessarium ab alio, illud magis necessarium est: stat autem necessarium à se connecti cum habente necessitate ab illo, dummodo utrumque sit necessarium simpliciter; ut constat in principiis & conclusione: Ergo magis necessarium potest cum minùs necessario, ab intrinsecò connecti.

24. Denique probatur eadem Minor principalis, & magis adhuc convellitur idem fundamentum E Vazquezij: Stat unum intrinsecè connecti cum alio, & non dependere ab illo: Ergo ex eo quòd essentia divina sit independens à creaturis possibilibus, non rectè inferri eam cum illis intrinsecè non connecti. Consequentia patet, Antecedens probatur primò. Essentia, ut radix est proprietatum, est intrinsecè connexa cum illis, & tamen prout sic, non est ab illis independens: Ergo stat sine dependentia connexio.

Secundò, Unum relativum est cum alio connexum, & tamen non dependet ab illo, aliàs simul naturæ & cognitione non essent: Ergo verum est Antecedens.

Tertiò, Veritas principiorum, prout à priori inferri veritatem conclusionis, est connexa ne-

A cessario cum illa (aliàs, ut supra arguebamus, posset veritas principiorum cum falsitate conclusionis conjungi) & tamen veritas principiorum, ut à priori inferentium veritatem conclusionis, non est dependens ab illa: si enim ut dependens eam inferret, inferret formaliter ut effectus, ac proinde non à priori, sed à posteriori illam probaret: Ergo idem quod prius.

§. IV.

Solvantur objectiones.

25. Objicies primò: Angelus comprehendit suam virtutem intellectivam, & tamen non cognoscit omnes suas intellectiones possibles; alioquin in sua virtute naturali posset cognoscere omnes creaturas possibles in particulari, quæ essent objecta talium intellectionum; cum repugnet unum actum, prout ab alio distinctum, comprehendendi, nisi saltem quoad an est, cognoscantur objecta à quibus distinctionem accipiunt: Ergo quamvis Deus comprehendat suam omnipotentiam, non sequitur quòd in seipso tanquam in causa, omnes creaturas possibles cognoscat, sicque ruit præcipuum fundamentum nostræ sententiae.

26. Respondeo concessò Antecedente, negando Consequentiam, & paritatem. Ratio discriminis est, quia intellectus Angeli non est causa completa omnium intellectionum quas elicere potest, cum ratione sui non habeat sibi unitas species representativas omnium possibilem, quibus intellectus ad intelligendum compleri potest: omnipotentia verò Dei, est virtus completa & perfecta respectu omnium possibilem, secundum omnem rationem; & quia in sola causa completa, adæquata, & perfecta, potest cognosci effectus, virtus intellectiva Angeli potest comprehendendi ab ipso, non cognitio in particulari omnibus intellectionibus in sua virtute contentis; licet virtus divina comprehendendi nequeat, non cognitio omnibus creaturis possibilibus, secundum proprias, peculiareque perfectiones, quibus adinvicem distinguuntur.

27. Objicies secundò: Illud quod habet rationem medij ducentis in cognitionem alterius, debet dicere ordinem ad illud, & ei perfecte assimilari: Sed divina essentia, cum sit absoluta & independens à creaturis, non refertur ad illas; & cum non conveniat cum illis, nisi tantum analogicè, ipsis non assimilatur perfecte: Ergo non habet rationem medij ducentis in cognitionem creaturarum possibilem.

28. Respondeo primò, hoc argumentum æquè & magis militare contra Adversarios, cum illi doceant essentiam divinam habere rationem speciei intelligibilis, immediatè representantis creaturas; & species intelligibilis majorem debeat habere proportionem & similitudinem cum objecto quod primario representat, & magis ad illud referri, quàm illud quod habet solum rationem cause & medij cogniti respectu illius.

29. Respondeo secundò, negando Majorem, quantum ad primam partem; non enim semper requiritur, quòd medium manifestans dicat ordinem ad rem quam manifestat, sed sufficit quòd res manifestata ad illud referatur: unde cum creaturæ dicant habitudinem ad divinam essentiam & omnipotentiam, tanquam ad causam, habeantque intimam ab illa dependentiam; essentia divi-

- na, quamvis absoluta ab omni respectu creaturarum, potest habere rationem medij ad illas cognoscendas. Pro cuius elucidatione.
30. Advertendum est, quod quando medium representans, & res representata, sunt intra eundem ordinem, debent dicere habitudinem adinvicem; secus verò quando medium est ordinis superioris & increati, ut contingit in proposito. Sicut quamvis in rebus creatis, mater & filius dicant mutuam relationem adinvicem; tamen inter Christum & B. Virginem, non est relatio mutua, quia suppositum Verbi Divini, cum sit ordinis superioris & increati, est incapax relationis realis ad creaturam.
31. Ad secundam verò partem Majoris, in qua dicitur, illud quod habet rationem medij cogniti, respectu alicujus objecti, debere ipsi assimilari; dicendum est, ad rationem medij cogniti, non requiri convenientiam univocam, aut similitudinem formalem cum objecto quod manifestat, sed sufficere convenientiam, & similitudinem quandam causalem, & veluti radicalem, ut constat in essentia, quæ habet rationem medij ad cognoscendas proprietates quæ ab ipsa dimanant, & tamen non convenit univocè cum illis, cum sit in genere substantia, proprietates verò in genere qualitatis; nec habet cum ipsis similitudinem formalem, sed tantum causalem & radicalem, quatenus est illarum causa, & veluti radix à qua procedunt. Idem cum proportione dicendum est in proposito, ut enim essentia divina habeat rationem medij cogniti respectu creaturarum, sufficit quod habeat cum illis similitudinem quandam causalem, & veluti eminentialem, & quod in ratione primæ causæ eminenter contineat omnes illarum perfectiones & differentias, etiam atomas & inviduales.
32. Objicies tertio: Inter medium cognoscendi, & rem cognitam, debet esse necessaria connexio, aliàs non posset ducere in certam & infallibilem illius cognitionem; sicut medium probabile non ducit in certam ac scientificam cognitionem conclusionis, quia necessariò cum illa non connectitur: Sed inter essentiam divinam, & creaturas possibiles, non reperitur necessaria connexio: Ergo illa non potest deservire ut medium ad illas cognoscendas. Major constat, Minor verò probatur multipliciter. Primo, quia si essentia divina haberet connexionem necessariam cum creaturis possibilibus, illis destructis, ea pariter destrueretur, quod videtur absurdum.
33. Secundo, Si omnipotentia Dei esset necessariò connexa cum creatura possibili, æquè necessarium esset creaturam esse possibilem, ac Deum esse omnipotentem; imò cum omnipotentia Dei sit ipse Deus, non minùs necessaria foret possibilitas creaturæ, quàm existentia Dei, quod etiam videretur falsum, & repugnans principiis fidei & luminis naturalis; cum Deus sit ens à se & per essentiam, & quæcumque creatura possibilis, ens ab alio, & per participationem.
34. Tertio, Si essentia Dei cum creaturis possibilibus conduceretur, dependeret ab illis: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur: Tum quia illud dependet ab alio quod sine illo nequit subsistere: At si essentia divina cum creaturis possibilibus necessariò conduceretur, non posset sine illis subsistere: Ergo penderet ab illis. Tum etiam, quia illa mutuò dependent, quæ posita se ponunt, & ablata se auferunt:
- A Sed si essentia divina cum creaturis possibilibus necessariò conduceretur, illis sublati tolleretur: Ergo penderet ab illis.
35. Respondeo concessa Majori, negando Minorem: nam divina essentia & omnipotentia habent connexionem simpliciter necessariam cum tota collectione rerum possibilium, tanquam cum objecto & termino adæquato, & cum quolibet possibili, tanquam cum objecto & termino inadæquato.
36. Ad primam probationem in contrarium, dicendum est, quod destructis creaturis possibilibus, destrueretur divina omnipotentia, non quidem à priori & per locum intrinsecum, sed à posteriori & per locum extrinsecum. Ratio est, quia possibilitas creaturarum non est aliquid in se actu extra potentiam causæ, nec proinde potest destrui nisi in causa: non potest autem hæc possibilitas in causa destrui, nisi destruat vis producendi creaturas, quæ est ipsamet causa, ac proinde nisi destruat ipsa causa.
37. Ad secundam probationem, nego sequelam Majoris; fieri enim potest aliqua sic esse inter se connexa, quod deficiente uno, impossibile sit aliud non deficere, & tamen quod unum sit magis necessarium quàm aliud, quia unius necessitas firmiori nititur fundamento: v. g. magis necessarium est hominem esse rationale, quàm risibilem, & tamen deficiente risibilitate, deficeret etiam rationalitas in homine; & universalius principia sunt magis necessaria quàm conclusiones, ut docent Dialectici, & tamen deficiente veritate conclusionum, veritas principiorum deficeret.
38. Ad tertiam nego etiam sequelam Majoris, nam inter medium cognoscendi & rem cognitam, non debet esse semper necessaria connexio, per mutuam dependentiam utriusque extremi, sed sufficit quod sit necessaria connexio, per dependentiam in uno, & eminentiam in altero. Unde ad primam probationem in contrarium, distinguo Majorem: Illud dependet ab alio, quod sine illo nequit subsistere, ratione subordinationis ad illud, concedo Majorem. Ratione continentia illius per modum causæ, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Et insto in divinis, ubi Pater nequit sine Filio subsistere, & tamen non dependet ab illo; & in creatis, ubi unum relativum non potest sine alio subsistere, & tamen sine dependentia ab illo, aliàs simul naturæ & cognitione non essent. Similiter essentia ut est radix proprietatum, est intrinsecè connexa cum illis, & tamen prout sic non est ab illis dependens: Ergo stat sine dependentia connexio, ut supra arguebamus.
39. Ad secundam probationem distinguo Majorem: Illa mutuò dependent, quæ posita se ponunt, & ablata se auferunt: si se ponant & auferant à priori, & per locum intrinsecum, concedo Majorem: si unum à priori, & per locum intrinsecum, & aliud solum à posteriori, & per locum extrinsecum, nego Majorem: licet autem ex destructione divinæ omnipotentia, tollatur à priori, & per locum intrinsecum, possibilitas creaturarum; ex repugnantia tamen seu impossibilitate creaturarum, solum à posteriori, & per locum extrinsecum, tollitur divina omnipotentia, eo ferè modo quo destructis conclusionibus, necessariò deductis, veritas principiorum tollitur, ut supra declaratum est.

Objicies

39. Objicies quartò: Deus cognoscit peccata pro formali malitiâ, non solum ut existentia, sed etiam ut possibilis, quæ tamen ab ipso, quatenus sunt mala formaliter, causari nequeunt: cognoscit etiam entia rationis, ut chimæras hircocervos, & similia humanæ mentis deliria, quæ ab ipso effingi nequeunt: Ergo omnia quæ cognoscit, non cognoscit in seipso tanquam in causa.

Confirmatur: Angelus plura cognoscit quorum causa non est, & quæ non continet in propria virtute: Ergo & Deus.

40. Ad objectionem respondeo primò, Quòd quando dicimus Deum omnia in seipso tanquam in causa cognoscere, hoc debet intelligi de omnibus quorum habet vel habere potest ideam, & quæ ab ipso ut à primo principio & prima causa efficiente possunt procedere: peccata verò, chimæra, & alia entia rationis, nullam in Deo habent vel habere possunt ideam, ut in ultima disputatione dicemus; nec à Deo ut prima causa efficiente possunt procedere, unde non mirum quòd illa in Deo tanquam in causa cognosci nequeant.

41. Respondeo secundò, Quòd licet Deus aliqua cognoscat quæ non causat, ut peccata & entia rationis, illa tamen non cognoscit nisi in effectibus ab ipso causatis, vel causabilibus; & sic omnia cognoscit in seipso tanquam in causa, vel mediâtè vel immediâtè. Quæ doctrina est D. Thomæ quæst. 2. de veritate art. 15. ad 1. & hîc art. 10. ad 2. & 3. & in corpore, ubi docet Deum cognoscere mala per bona creata quibus opponuntur; & quia boni per quod malum cognoscitur, Deus est causa, omnia in seipso ut in causa cognoscit, non quia mali causa sit, sed quia est causa boni, per quod malum cognoscit.

Idem dicendum est de chimæra, & aliis entibus rationis: chimæra enim componitur ex extremis repugnantibus inter se, ut caudâ leonis, capite draconis, & corpore hominis, quæ conjungi ab intrinseco repugnat; unde his extremis cognitis, illorum repugnantia cognoscitur; & cum extrema in Deo ut in causa contineantur; chimæra licet impossibilis, in Deo tamen ut causa cognoscitur; non quidem ut causa illius, sed ut causa extremorum ex quibus componitur, & quorum conjunctio impossibilis est.

42. Ad confirmationem, concessò Antecedente, nego Consequentiam, & paritatem: Ratio autem discriminis est, quia Angelus plura cognoscit per proprias illorum species: Deo autem repugnat alia extra se cognoscere per speciem à sua essentia distinctam, & cum essentia divina non possit alia à se representare, nisi illa eminenter per modum causæ contineat, Deus non potest cognoscere aliquid extra seipsum, sed solum in seipso & in essentia sua tanquam in causa. Unde Dionysius cap. 7. de divinis nominibus: *Etenim si secundum unam causam, Deus omnibus existentibus esse tradidit, secundum eandem causam sciet omnia, & non ex existentibus sumet ipsorum cognitionem.*

43. Objicies quintò: Cognitionis rei in alio tanquam in causa, est discursiva, cum discurrere nihil aliud sit quàm effectus in causa cognoscere: Sed cognitio Dei discursiva non est, cum discursus aliquam imperfectionem Deo repugnantem involvat: Ergo Deus non cognoscit creaturas in sua essentia tanquam in causa.

Tom. I.

A Respondeo negando Majorem, ad ejus probationem dicendum, quòd discurrere est effectus in causa cognoscere per plures actus distinctos, quorum unus sit causa alterius; cognoscere autem effectus in causa, unico intuitu, & sine multiplicitate actuum, non est discurrere, ut docet S. Thomas hîc art. 7. & patet in oculo, qui non censetur discurrere, quando unico intuitu plura objecta in speculo videt. Quare observandum est, aliud esse unum in alio tanquam in causa cognoscere, & aliud illud cognoscere ex alio tanquam ex causa: primum enim fieri potest sine discursu, & per unicum actum; ad secundum verò requiritur discursus & multiplicitas actuum: unde cum Deus non cognoscat creaturas ex sua essentia tanquam ex causa, per plures actus, sed unico simplici actu & intuitu, illas in sua essentia, tanquam in causa, & veluti in speculo purissimo contempletur, ejus cognitio discursiva non est.

Objicies sextò: Si Deus cognosceret creaturas possibles in seipso tanquam in causa, eas in sua omnipotentia ut illarum causa cognosceret: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet, Deus enim constituitur causa creaturarum per suam essentiam tanquam per radicale principium, per omnipotentiam verò ut per virtutem proximam executivam. Minor verò suadet: Omnipotentia in Deo non distinguitur virtualiter à scientia, ut constabit ex infra dicendis: Sed Deus non dicitur propriè in sua scientia cognoscere possibles, illa enim non habet rationem mediæ objectivi, sed luminis intellectualis, se tenentis ex parte principij cognoscentis: Ergo non potest dici ea cognoscere in sua omnipotentia tanquam in causa.

Confirmatur: Esto detur scientiam in Deo esse attributum ab omnipotentia virtualiter distinctum, tamen negari non potest, iuxta principia Thomistarum, scientiam Dei esse causam rerum, non solum directivam, sed etiam effectivam; Atqui Deus non cognoscit creaturas in sua scientia, sed per suam scientiam: Ergo non cognoscit illas in seipso tanquam in causa.

Ad objectionem, concessa Majori, nego Minorem; ad ejus probationem, distinguo Majorem: omnipotentia in Deo non distinguitur virtualiter à scientia, ut speculativa, & practicè directiva, nego Majorem; ut executiva, & practicè practica, concedo Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Thomista ergo constituentes omnipotentiam indistinctum attributum à scientia, triplicem distinguunt conceptum in illa, scilicet contemplationis, directionis practicæ, & virtutis executivæ, & in illa, sub hoc ultimo conceptu, omnipotentiam consistere docent: licet autem in scientia speculativa, non dicatur propriè Deus cognoscere creaturas, in illa tamen, ut est virtus executiva, propriè dicitur illas cognoscere. Per quod patet ad confirmationem, Minor enim distinguenda est: Deus non cognoscit res in sua scientia, sed per suam scientiam, ut est speculativa, concedo Minorem: ut est practicè practica, & habet rationem potentie executivæ, nego Minorem, & Consequentiam. Solutio patebit ex dicendis disputatione sequenti, ubi agemus de causalitate scientie Dei.

Cc

ARTICVLVS II.

An in Deo, præter modum cognoscendi creaturas possibles in essentia sua tanquam in causa, detur alius, quo illas in seipsis immediatè cognoscat, seu independentè ab essentia divina, prius visa & cognita?

46. **H**Æc questio magni ponderis est, ex ea si quidem tanquam ex præcipuo fundamento, depèdet positio vel destructio scientiæ mediæ: Si enim Deus non cognoscat res immediatè in seipsis, sed solum in seipso, & in sua essentia & omnipotentia tanquam in causa; cum illa non sit causa rerum, nisi ut determinata & applicata per divinæ voluntatis decretum; eò quod Deus non sit agens naturale, sed liberum, & operetur omnia, iuxta consilium voluntatis suæ, ut ait Apostolus; manifestum est, futura contingentia non esse cognoscibilia ab intellectu divino independentè à decreto, & in signo rationis illud antecedente; & sic vacat scientia mediæ, quæ est cognitio futurorum contingentium conditionatorum ante decretum: è contra verò, si Deus creaturas cognoscat immediatè in seipsis, & independentè ab essentia divina prius cognita, poterit cognoscere res futuras independentè à decreto, & sic dabitur in illo scientia mediæ. Unde Suarez, Valentia, Granado, & alij ex Recentioribus, advertentes iuxta doctrinam SS. Patrum, (præsertim Dionysij, Augustini, & Thomæ, quorum testimonia articulo præcedenti retulimus) non posse negari Deum creaturas in sua essentia & omnipotentia tanquam in causa cognoscere, & omnes Vazquezij interpretationes esse violentas, distortas, & à mente illorum SS. Patrum penitus alienas, fatentur Deum hoc modo creaturas cognoscere. Veruntamen ut Deo affingere possint scientiam mediæ, seu cognitionem futurorum independentem à decreto, docent, præter hunc modum cognoscendi creaturas in essentia divina tanquam in causa, dari alium quod Deus illas in seipsis immediatè cognoscat, seu independentè ab essentia & omnipotentia sua prius visa & cognita. Contra verò Thomistæ, & alij scientiæ mediæ impugnatores, contendunt hunc posteriorem modum cognoscendi creaturas esse imperfectum, indignum Deo, & infinitæ ejus perfectioni plurimum derogare, subindeque illum excludunt, ac docent Deum non aliter cognoscere creaturas possibles, aut futuras, quam in essentia & omnipotentia sua tanquam in causa, ac medio prius cognito. Unde sit

§. I.

Conclusio negativa statuitur. & probatur ex SS. Patribus.

47. **D**ico igitur: Non datur in Deo cognitio creaturarum possibilium in seipsis immediatè, seu independentè ab essentia divina, prius visa & cognita.

Probatè primò ex Dionysio cap. 7. de divin. nomin. ubi de Deo loquens, sic ait: *Non secundum visionem singulis se immitit, sed secundum sensum continentiam scit omnia.* Et infra: *Divina sapientia seipsam cognoscens scit alia.* Et rursus: *Deus ea que sunt noscit, non rerum notitiâ, sed sui.* At si Deus, præter scientiam possibilium in

A seipso, illa in seipsis immediatè cognosceret, secundum visionem singulis se immitteret, & illa sciret, non seipsum noscens, & notitiâ, non sui, sed creaturarum propriâ: Ergo juxta Dionysium, Deus non cognoscat creaturas possibles immediatè in seipsis, sed tantum in seipso, & mediatè, seu in essentia divina prius visa & cognita.

Minor pro prima parte manifesta est, nam cognoscens, secundum visionem se immittere objecto, non est ab illo accipere speciem, quia in hoc non se immitit cognoscens objecto, sed potius objectum se immitit cognoscenti: Ergo est immediatè erga objectum versari, non enim videtur in quo alio consistere possit; & consequenter si Deus creaturas possibles cognoscat immediatè in seipsis, se immitit secundum visionem creaturis.

B Pro secunda parte etiam constat, nam Deus cognosceret creaturas possibles, mediatè in seipso, & immediatè in seipsis: Ergo cognosceret illas, non solum notitiâ quâ se cognoscat, sed etiam aliâ notitiâ, quod à Dionysio negatur; nam illius sensus est exclusivus, alias non sufficienter explicuisset modum quò creaturæ à Deo cognoscuntur.

C Denique pro tertia parte suadet: Notitiâ illius objecti dicitur, ad quod immediatè & primariò terminatur: Sed notitiâ quâ Deus creaturas possibles, in seipsis immediatè cognosceret, illas haberet pro objecto immediato & primario: Ergo si daretur in Deo talis cognitio, cognosceret creaturas, non sui, sed illarum notitiâ.

D Neque obstat talem cognitionem non nasci à specie ab illis accepta, sed ab ipsa essentia divina gerente munus speciei, ut dicitur creaturarum propria, si semel immediatè terminatur ad illas, Notitiâ enim quam Angeli habent de rebus, non habetur per speciem ab illis acceptas, sed à Deo immediatè infusas, ut ostenditur in Tractatu de Angelis; & tamen quia ad res immediatè & in seipsis terminatur, verè dicitur rerum cognitarum propria notitiâ: Ergo si notitiâ quam Deus habet de creaturis possibilibus, immediatè ad illas terminetur, licet non procedat à specie ab ipsis causata, verè erit & dicitur notitiâ rerum possibilem propria, subindeque falsa erit propositio Dionysij.

E Confirmatur: Dionysius loco citato probat Deum non sumere cognitionem à rebus, & extra seipsum nihil cognoscere, quia omnia cognoscat in seipso tanquam in causa, ait enim: *Enim si secundum unam causam, Deus omnibus existentibus esse tradidit, secundum eandem causam sciet omnia, & non ex existentibus sumet ipsorum cognitionem.* Ergo non solum intendit docere, quod Deus non cognoscat creaturas extra seipsum, sed in seipso, ex eo quod non accipiat speciem à rebus, sed etiam ex eo quod illas cognoscat in sua essentia ut in causa, & medio prius cognito, non verò in seipsis immediatè.

Probatè secundo conclusio ex aliis SS. Patribus: Ambrosius enim Tractatu in symbolum cap. 1. hæc scribit: *Licet omnia cælestia, & terrestria, ac minima queque prospiciat Deus, nihil tamen extra intelligere, sed singula in se intueri dicitur.* Et D. Augustinus lib. 83. questionum, quæst. 46. ait *Sacrilegum esse asserere, quod Deus exeat extra se ad aliquid cognoscendum.* Quæ verba exponens D. Thomas hic art. 5. ad 1. dicit, *Illæ verba Augustini dicentis Deum nihil extra se cognoscere, sic esse intelligenda, non quasi*

Deus nihil quod si extra se intueatur; sed quia id quod est extra seipsum, non intueatur nisi in seipso. Unde in fine corporis sic concludit: Igitur dicendum est quod Deus seipsum videt in seipso, alia autem à se videt, non in ipsis, sed in seipso. Ergo juxta D. Thomam, & alios SS. Patres, non datur in Deo cognitio immediata creaturarum in seipsis, sed mediata solum, in essentia divina tanquam in causa.

34. Nec tam evidētia & expressa testimonia eludi possunt solita responsione Adversariorum, qui dicunt D. Thomam, & alios SS. Patres asserentes Deum non cognoscere creaturas in seipsis, solum intendere quod illas non cognoscat per species à rebus acceptas, sicut nos eas cognoscimus, sed per suam essentiam gerentem vires speciei ad illarum cognitionem.

Nam contra hanc elusionem est primò quòd SS. Patres jam relati ex eo probant Deum non cognoscere creaturas in seipsis immediatè, seu extra seipsum, quia illas cognoscit in seipso: Ergo non solum intendunt docere quòd Deus non cognoscit creaturas in seipsis, ex eo quòd non accipiat species à rebus, sed ex eo quòd eas cognoscit in sua essentia, ut in medio prius cognito.

Secundò, Si SS. Patres solum vellent excludere à Deo hanc imperfectionem, nempe hoc quòd est accipere species à rebus, nihil speciale ipsi tribuerent, quòd creaturis non possit competere, cum etiam Angeli non intelligant per species à rebus acceptas: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud.

Tertiò, Aliud est cognoscere creaturas immediatè, & aliud eas cognoscere per species à rebus acceptas: oculus enim v. g. immediatè videt colores, & tamen accipit speciem ab illis, & Angelus è contra mediatè cognoscit hominem, vel leonem, & tamen ab illis non accipit species, sed eas habet à Deo in creatione infusus: Ergo impertinenter omnino probaret D. Thomas, Deum non cognoscere creaturas immediatè in seipsis, ex eo quòd non cognoscat illas per species à rebus acceptas.

Quartò, Cognosci aliquid cognitione immediata, est verè & propriè cognosci in seipso: Sed D. Thomas absolutè negat creaturas à Deo cognosci in seipsis: Ergo negat cognosci cognitione ad illas terminatà immediatè.

Denique, Eo ipso quòd creaturæ non cognoscantur à Deo per speciem illarum propriam, sed per essentiam divinam gerentem vires speciei, non possunt immediatè & primariò cognitionem divinam terminare, sed mediatè tantum & secundariò, ut constabit ex statim dicendis: Atqui D. Thomas loco citato docet creaturas cognosci à Deo per essentiam divinam gerentem vires speciei, ait enim: *Deus seipsum videt in seipso, alia autem à se videt, non in ipsis, sed in seipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso:* Ergo juxta D. Thomam, non datur in Deo cognitio immediata possibilium in seipsis, sed mediata tantum, quæ ea in sua essentia & omnipotentia, ut in causa, cognoscit.

§. II.

Eadem veritas ratione suadetur.

35. Plures etiam in favorem nostræ conclusionis rationes efficaces adduci possunt.

Prima est: In Deo, utpote infinitè perfectò, non potest admitti duplex modus cognoscendi

Tam. I.

A creaturas, quorum unus sit perfectior, & alter minus perfectus: Sed modus cognoscendi creaturas, in essentia divina tanquam in causa, est multò perfectior & nobilior, quàm modus illas cognoscendi immediatè in seipsis, ut articulo præcedenti ostendimus: unde in Angelis beatis, cognitio matutina per quam vident creaturas in verbo, & in essentia divina tanquam in causa, multò perfectior est, quàm cognitio vespertina, per quam illas cognoscunt extra verbum, & immediatè in seipsis, juxta illud Augustini quod supra retulimus: *Cognitio creaturæ in seipsa, decoratior est, quàm cum in Dei sapientia cognoscitur, veluti in arte per quam facta est:* Ergo præter modum cognoscendi creaturas possibles in essentia divina tanquam in causa, non debet admitti in Deo alius, quò illas in seipsis immediatè, & independentè ab essentia sua prius cognita, intueatur.

Secunda est, Eo modo cognoscuntur creaturæ ab intellectu divino, quò representantur per speciem quæ intelligit: Sed non representantur in se & ratione sui, sed mediatè & in alio, scilicet in Deo ut prius representato: Ergo non cognoscuntur immediatè in seipsis, sed mediatè in Deo prius cognito. Major constat, Cum enim ex intellectu & objecto, medià specie, adæquatam intellectiōnis principium constituitur, nihil potest intellectus intelligere, nisi per speciem representetur: Ergo nec poterit immediatè intelligere, quòd immediatè in specie non continetur. Minor autem probatur. Species quæ divinus intellectus intelligit, est sola divina essentia: At hæc non representat immediatè creaturas, sed mediatè, Deò prius representatò: Ergo species quæ divinus intellectus intelligit, non representat immediatè creaturas, sed solum mediatè.

Respondetis primò, juxta doctrinam Vazquezij, negando suppositum Majoris, quòd scilicet Deus creaturas per speciem intelligat; cum enim non implicet dari intellectum, seipso, absque concursu speciei, ad intelligendum completum, & talis independentia & omnimoda completio perfectionem dicat, non debet denegari intellectui divino, utpote summè perfectò.

Sed hæc responsio in primis apertè contrariatur D. Thomæ, qui hic art. 5. in corp. & in solut. ad 3. docet essentiam divinam esse speciem intelligibilem, quæ Deus seipsum & creaturas cognoscit. Pugnat etiam cum doctrina Augustini asserentis ex objecto & potentia pari notitiam, sicut ex concursu maris & femine gignitur proles, nec non contra communem Theologorum sententiam, asserentium essentiam divinam uniri mentibus beatorum ut speciem & formam in esse intelligibili in ordine ad cognitionem sui & creaturarum: si enim essentia divina respectu intellectus beati gerat vires speciei, hoc nullam importat imperfectionem, subindeque non debet Deo denegari, in ordine etiam ad propriam intellectiōnem. Item si essentia divina non sit species & forma intelligibilis, representans creaturas intellectui divino, vix poterit reddi ratio, cur Verbum Divinum procedat ex cognitione creaturarum possibilium, cum verbum non exprimat, nec representet in actu secundo, nisi quæ in specie intelligibili representantur in actu primo. Denique non minus est de ratione intellectiōnis, ab intellectu & objecto intra illum intelligibiliter constituto procedere, quàm de ratione volitionis procedere à voluntate, medià

Cc ij

objecti apprehensione: Sed implicat dari voluntatem quæ sit volitionis principium, nisi mediâ apprehensione objecti: Ergo pariter repugnat dari intellectum, qui sit principium intellectio- nis, sine concursu objecti intra ipsum constitui in ratione intelligibilis: Sed objectum ut concurrens objectivè ad intellectionem, gerit munus speciei: Ergo implicat intellectum sine specie esse principium intellectionis; & per consequens sicut voluntas divina, quamvis infinita, non potest aliquid velle, nisi præviâ cognitione, ita intellectus divinus, etsi infinitè perfectus, non poterit aliquid intelligere, nisi mediâ specie increata, ipsâ nimirum divinâ essentiâ, gerente vices speciei & formæ intelligibilis.

38. Respondebis secundo cum aliis, negando Minorem: cum enim essentia divina sit species representans creaturas, quia continet illas eminenter, & contineat ipsas eminenter immediatè, illas immediatè representat.

Sed hæc etiam solutio sustineri nequit, primò quia objectum immediatè representatum per speciem, debet convenire cum illa in gradu immaterialitatis; ut docet D. Thomas supra quæst. 12. art. 2. inferens ex hoc principio nullam speciem creatam posse representare quidditivè Deum: Sed nihil creatum potest cum divina essentia talem convenientiam habere; cum gradus immaterialitatis divinæ consistat in exclusione omnis potentialitatis, quæ exclusio nulli enti creato competere potest: Ergo nihil creatum potest representari immediatè per essentiam divinam ut speciem.

Secundò, Representatio speciei, vel est ratione similitudinis, vel ratione identitatis cum objecto: Sed divina essentia nulli rei creatæ potest esse perfectè similis, & multò minùs cum ea identificari: Ergo essentia divina, ut species, nullam rem creatam primariò representare potest.

Tertiò, Essentia Angeli, ut species, solum seipsam per se primò & immediatè representat, alia autem à se, secundariò tantùm, & mediatè, ut docetur in Tractatu de Angelis: Ergo pariter essentia divina, ut species, solum potest seipsam primariò & immediatè representare, creaturas verò secundariò tantùm & mediatè.

Denique, Si essentia divina ut habet rationem speciei, primariò & immediatè representaret creaturas, illæ essent objectum specificativum, partiale saltem & inadæquatum, talis speciei increatæ: sicut in specie Angelica immediatè representante plures naturas, & unam independentem ab alia, ita ut humana v. g. non sit ratio cur leonina representetur, omnes illæ naturæ integrant objectum specificativum illius: Sed creaturæ non possunt pertinere ad objectum formale & specificativum essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei increatæ: Ergo non possunt ab illa primariò, sed tantùm secundariò representari.

39. Tertia ratio conclusionis sumitur ex D. Thoma 1. contra Gent. cap. 48. ratione 1. ubi sic dicitur: *Operatio intellectualis speciem & nobilitatem habet, secundum id quod est per se primò intellectum, cum hoc sit ejus objectum: si igitur Deus aliud à se intelligeret, quasi per se & primò intellectum, ejus operatio intellectualis, speciem & nobilitatem haberet ab alio quàm ab ipso: Hoc autem est impossibile, cum ejus operatio sit ejus essentia; & hac quippe ens à se, nequeat ab alio distincto à Deo speciem capere: Sic igitur impossibile est, quod*

A *intellectum à Deo primò & per se, sit aliud ab ipso.* Ex quibus verbis hæc potest deduci ratio: Si Deus cognosceret creaturas in mediâ in seipsis, & independentem ab essentia divina priùs cognita, objectum formale & specificativum divinæ intellectionis, esset ens creatum, vel ens ut sic abstrahens à creato & increato: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris est evidens, illud enim censetur esse objectum formale & primarium alicujus potentia, vel operationis, quod primariò & immediatè ab illa attingitur, & independentem ab alio priùs attacko, ut constat in potentia visiva, cujus objectum formale & primarium est color, quem per se primò attingit; secundarium verò & materiale, paries, vel aliud subiectum colore affectum, quia illud non attingitur immediatè, & per se primò, sed tantùm secundariò, & mediante colore.

Minor verò fusè à nobis probata fuit in Tractatu de attributis, potestque rursus hic breviter suaderi. Primò ratione Divi Thomæ jam insinuatâ. Cognitio desumit suam speciem & perfectionem essentialiam ab objecto formali & primario, & ab illo mensuratur; Sed intelligere Dei, cum sit ejus esse, ejusque natura, non potest desumere suam speciem & perfectionem essentialiam à creaturis, nec ab illis mensurari: Ergo ens creatum non potest esse objectum formale & primarium divinæ intellectionis.

C Secundò, Objectum formale & primarium divinæ intellectionis, debet esse quid actualissimum, sicut & ipsa intellectio: Sed ens creatum, vel abstrahens à creato & increato, est quid potentiale, ut constat: Ergo non potest esse objectum formale & primarium divini intellectus, sed solum ens increatum, seu divina essentia, quæ est actus purus, & ejusdem immaterialitatis cum illo.

Tertiò, Si creaturæ pertinerent ad objectum formale & specificativum divinæ scientiæ, etiam pertinerent ad objectum formale & specificativum Theologiæ, cum ista sit illius expressio, seu participatio: Sed hoc est falsum, ut constat ex dictis disputatione præliminari ad universam Theologiam articulo 3. ubi ostendimus, solum Deum esse objectum formale & specificativum Theologiæ, creaturas verò ad objectum tantùm materiale & secundarium pertinere: Ergo creaturæ non pertinent ad objectum formale & specificativum divinæ scientiæ.

Quartò, Si objectum formale & specificativum divini intellectus, sit ens ut abstrahit à creato & increato, sequitur objectum formale fidei, & aliarum virtutum Theologicarum, esse aliquid abstrahens à Deo & creaturis: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris est evidens, virtutes enim Theologicæ sunt participationes divini intellectus & voluntatis, ac proinde habent idem objectum formale cum illis. Minor verò demonstrari solet in Tractatu de virtutibus Theologicis, & videtur manifesta. Si enim objectum formale & specificativum illarum virtutum, non esset Deus, sed aliquid creatum, vel abstrahens à Deo & creaturis, illæ non essent Theologicæ: per hoc enim distinguuntur virtutes Theologicæ à moralibus infusis, vel acquisitis, quòd primæ respiciunt immediatè Deum, tanquam proprium objectum formale & specificativum; secundæ verò circa aliquod objectum creatum versantur, ut ibidem ostendimus.

Ultima ratio nostræ conclusionis potest sic

breviter proponi. Ita se habet veritas creata ad intellectum divinum, sicut bonitas creata ad voluntatem divinam: Sed bonitas creata nequit ratione sui immediatè terminare actum voluntatis divinæ: Ergo nec veritas creata potest ratione sui immediatè terminare actum divini intellectus. Major pater, Minor verò variis rationibus demonstrabitur in Tractatu de voluntate Dei, & potest interim breviter suaderi ex D. Thoma infra quæst. 19. art. 2. ad 2. ubi sic discurret: *In his que volumus propter finem: tota ratio movendi est finis, & hoc est quod movet voluntatem: unde cum Deus alia à se non velit nisi propter finem, qui est sua bonitas, non sequitur quod aliquid aliud moveat voluntatem suam, nisi bonitas sua: & sic sicut alia à se intelligit: INTELLIGENDO ESSENTIAM SVAM; ita alia à se vult, volendo bonitatem suam.* Et rursus in solut. ad 3. *Ex hoc quod voluntati divinæ sufficit sua bonitas, non sequitur quod nihil aliud vult, nisi ratione sua bonitatis: sicut etiam intellectus divinus: licet sit perfectus ex hoc ipso quod essentiam divinam cognoscit, TAMEN IN EA COGNOSCIT ALIA.* Quò nihil clarius & expressius in favorem nostræ sententiæ dici potest.

61. Ad do quod Suarez ad hanc confugit doctrinam, dum opprimitur difficultate insuperabili actus liberi Dei, quem non putat se posse concipere, aut tutari, nisi recurrat ad illud principium, quod actus liber Dei, & quilibet increatus, essentiam aut bonitatem divinam respicit ut objectum formale adæquatum, creaturas verò ut objectum materiale à quo non hauriant specificationem. A qua tamen veritate apertè recedit, & simul calidum & frigidum efflat, dum in Deo præter modum cognoscendi creaturas in essentia divina tanquam in causa, admittit aliud genus cognitionis creaturarum in seipsis immediatè, & independentè ab essentia divina priùs visa; id enim, ut supra ostendimus, quod objectum intellectus specificativum, ad quod per se primò terminatur, nullo medio priùs cognito.

§. III.

Solvuntur objectiones.

62. **O**bjicies primò: Deus cognoscit veritates creatas omni modo quò sunt cognoscibiles, aliàs infinitus in cognoscendo non esset: Sed veritates creatæ sunt cognoscibiles duobus modis nempe mediatè, in divina essentia tanquam in causa, & immediatè in seipsis: Ergo Deus illas utroque modo cognoscit.

Confirmatur: Intellectus animæ Christi cognoscit veritates creatas in verbo (hoc est in divina essentia visa) & immediatè in seipsis extra verbum, per scientiam supernaturalem infusam, idque ut animæ Christi concedatur omnis modus cognoscendi res creatas, ut communiter docent Theologi 3. p. quæst. 9. Sed hæc ratio magis urget de intellectu divino: Ergo Deus cognoscit veritates creatas non solum in sua essentia visa, sed etiam immediatè in seipsis.

Confirmatur ampliùs: In Angelis beatis admittitur à Theologis, post D. Augustinum, duplex cognitio, matutina scilicet, & vespertina, & duplex modus cognoscendi creaturas, in verbo, & extra verbum: Ergo similiter uterque modus illas cognoscendi, Deo non debet denegari.

63. Ad objectionem quæ est præcipuum Adversarij

Tom. I.

Ariorum fundamentum, relicto variis solutionibus, facile respondeo distinguendo Majorem: Deus cognoscit veritates creatas omni modo quò sunt cognoscibiles: Si talis modus non dicat imperfectionem ex parte cognitionis, concedo Majorem: si involvat imperfectionem, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Nam cognitio immediata creaturarum in seipsis, imperfectionem dependentiæ & specificationis ab ipsis, in intellectum cognoscentem refundit, ut constat ex dictis in tertia ratione. Unde quamvis veritates creatæ sint immediatè cognoscibiles, & de facto sic cognoscantur ab intellectu animæ Christi creato, cujus actibus non repugnat hujusmodi imperfectio; non cognoscuntur tamen, nec cognosci possunt ab intellectu divino in seipsis immediatè. Per quod ad primam confirmationem patet solutio.

Ad secundam, concesso Antecedente, nego Consequentiam & paritatem, propter duplicem rationem discriminis. Prima est, quia objectum specificativum intellectus angelici & humani, non est ens increatum, sed ens ut sic, prout abstrahit à creato & increato: objectum verò specificativum intellectus divini, est ens increatum tantum, seu sola divina essentia, cum ea sola sit ejusdem puritatis, immaterialitatis, & actualitatis cum illo. Secunda, quia (ut supra dicebamus) in Deo, utpote infinite perfecto, non potest dari duplex modus cognoscendi creaturas, quorum unus sit magis, & alter minus perfectus; bene tamen in Angelis & in beatis: modus autem cognoscendi creaturas immediatè in seipsis, est minus perfectus, quam modus eas cognoscendi in essentia divina ut in causa; imò (ut supra ostendimus) involvit imperfectionem specificationis & dependentiæ à creaturis, Deo repugnantem.

Dices: Perfectius est cognoscere objecta sine medio, quam in aliquo medio: v. g. perfectius est videre hominem in seipso immediatè, quam in speculo in quo repræsentatur: Ergo modus cognoscendi creaturas immediatè in seipsis, multo perfectior est, quam modus eas cognoscendi in essentia divina tanquam in causa, & medio priùs cognito.

Confirmatur: Cognitio rei in alio ut in causa, est abstractiva: Ergo minus perfecta est, quam cognitio intuitiva rei in seipsa immediatè.

Ad instantiam, nego Antecedens; perfectio enim cognitionis non attenditur penes hoc quòd sit mediata, vel immediata, sed penes hoc quòd magis vel minus clarè attingat objectum: unde cum cognitio creaturarum in essentia divina, clarior sit, quam cognitio illarum in seipsis, quæ (ut ait Augustinus supra relatus) *decolorator est*, & obscurior, perfectius est cognoscere creaturas in essentia divina, tanquam in causa, & medio priùs cognito, quam illas immediatè in seipsis intueri.

Ex hoc intelliges quòd ait S. Doctor hinc art. 10. ad 4. nempe, *quòd cognoscere aliquid per aliud tantum, est imperfecta cognitio, si illud sit cognoscibile per se.* Hoc enim verum est, quando illud quod in alio cognoscitur, in illo minus perfecte continetur & repræsentatur, quam in seipso; secus verò, si in illo perfecte contineatur & repræsentetur: unde cum creaturæ contineantur in essentia divina tanquam in causa, & in idea & arte divina per quam factæ

C c ij

sunt, clarissimè & perfectissimè, ac secundùm proprias earum rationes & differentias represententur, modus cognoscendi creaturas in essentia divina tanquam in causa, idea, & exemplari, multò perfectior & nobilior est, quàm modus illas cognoscendi immediatè in seipsis, & secundùm propriam earum cognoscibilitatem & veritatem, quam Adversarij *objectivam* appellant; sicut in Angelis beatis, perfectior est notitia creaturarum in verbo, quæ *matutina* dicitur, quàm earum cognitio extra verbum, quæ *vespertina* appellatur.

68. Ad confirmationem dicendum, quòd cognitio rei in alio est abstractiva, quando non attingit existentiam rei, sed ejus tantùm quidditatem & essentiam; scòcis verò, si attingat ejus existentiam; cognitio enim non dicitur intuitiva, vel abstractiva, ex eo quòd fiat cum medio, vel sine medio; sed ex eo quòd attingat vel non attingat existentiam rei: unde cum Deus cognoscendo creaturas existentes, in sua essentia tanquam in causa, non solum quidditatem, sed etiam existentiam illarum attingat, cognitio illarum non est abstractiva, sed intuitiva: scientia verò possibile, quia terminatur ad rerum tantùm quidditatem & essentiam, & abstrahit ab illarum existentia, purè abstractiva est: notitia autem futurorum, est intuitiva; quia terminatur ad illa, ut presentia in aternitate, quod ad cognitionem intuitivam sufficit, ut infra declarabitur, cum agemus de presentia futurorum contingentium in aternitate.

Disp. 4.
art. 8.
69.

Objicies secundò, Si Deus non cognosceret creaturas immediatè in seipsis, sed solum in seipso ut in medio priùs cognito, non cognosceret eas secundùm esse formale quod habent in propria natura, sed tantùm secundùm esse eminentiale quod habent in essentia divina tanquam in causa: At hoc falsum est, ut initio articuli præcedentis contra Aureolum ostendimus: Ergo & illud. Sequela Majoris probatur: Creatura non continentur in Deo formaliter, sed tantùm virtualiter, seu eminenter, cum Deus non sit formaliter homo, vel leo, & omnes perfectiones creaturarum habeant aliquam imperfectionem admixtam, quæ Deo repugnat: Ergo si Deus cognoscat creaturas solum in seipso tanquam in causa, & medio priùs cognito, eas non cognoscit secundùm esse formale quod in se habent, sed tantùm secundùm esse eminentiale quod habent in essentia & omnipotentia divina, tanquam in causa prima.

70. Pro solutione hujus argumenti, advertendum est, quòd quando dicimus essentiam divinam esse medium in quo Deus cognoscit creaturas, non sumimus essentiam divinam ut distinctam ab attributis, cum ut sic non sit causa adæquata illarum; sed simul cum attributis quæ ad productionem creaturarum concurrunt, nempe ideis & arte divinâ, ut illas representantibus, intellectu ut dirigente per scientiam simplicis intelligentiæ, voluntate ut movente & applicante per decretum, & omnipotentia ut exequentem per actum imperij, sicut infra ostendemus. Hoc præmissò, ad argumentum respondeo, negando sequelam Majoris; ad cujus probationem dico, quòd licet creatura non contineantur formaliter in essentia divina, sed tantùm eminenter; continentur tamen formaliter (non in esse entitativo, sed intelligibili) in aliquo attributo, quod ad earum effectum concurrat, nempe in ideis &

A arte divina; cum enim Deus sit causa efficiens intellectualis, ratione suæ ideæ & verbi, præhabebat res omnes in se formaliter, non in esse entitativo, sed intelligibili & representativo, sicut artifex creatus sua opera, juxta illud, *Qui fecit caelos in intellectu*; & hoc sufficit ut creatura cognoscantur à Deo secundùm esse formale quod habent in seipsis, & non solum secundùm esse eminentiale quod habent in divina essentia & omnipotentia.

71. Aliam hujus argumenti solutionem insinuavimus in Tractatu de visione beata, ubi diximus duplicem dari continentiam eminentialem: unam imperfectam, & se extendentem solum ad aliquam rationem communem & genericam, qualis est illa quæ convenit Soli & aliis corporibus celestibus, respectu corporum inferiorum, quæ causant solum quantum ad aliquam rationem communem & genericam, puta rationem viventis, vel corporis corruptibilis, quam per se primò in rerum inferiorum generationibus attingunt: aliam perfectam, & se extendentem non solum ad rationes communes & genericas, sed etiam ad differentias atomas & individuales, quæ soli Deo competit; cum ipse solus per se primò attingat in rebus creatis rationem entis producibilis, in differentiis omnium rerum creaturarum transcendentaliter inclusam. Quamvis ergo primum genus continentie eminentialis non sufficiat ad manifestationem rei secundùm esse formale, & quantum ad ejus rationem specificam & individualem, bene tamen secundùm; quia cum talis continentia eminentialis perfectissima sit, & ad omnes rationes, tam genericas, quàm specificas, & individuales se extendat, æquivaleret continentie formali, subindeque præstare potest omnia quæ illa præstat, & ducere in cognitionem rerum secundùm esse formale quod in se habent.

Objicies tertio: Sunt aliqua veritates creatæ adeo manifestæ, ut per seipsas, absque ullo medio, intellectui creato innotescant, ut prima principia, vel propositiones identicæ: Ergo saltem tales veritates possunt cognosci ab intellectu divino in seipsis immediatè, & absque eo quòd opus sit, ut priùs seipsum, vel suam omnipotentiam cognoscat.

72. Respondeo concessò Antecedente, negando Consequentiam & paritatem, ob duplicem rationem discriminis. Prima est, quia intellectui creato non repugnat specificari à veritate creatæ, bene tamen divino, ut supra ostensum est. Secunda, quia intellectus divinus non potest cognoscere veritatem creatam, cognitione quæ non sit comprehensiva: comprehensio autem veritatis creatæ non potest haberi, nisi omnes illius causæ cognoscantur; & quia præcipua causa veritatis creatæ, est Deus, ille non potest cognoscere veritates creatas, nisi in seipso ut medio priùs cognito; quæ ratio cum non habeat locum in intellectu creato, possunt prædictæ veritates ab illo in seipsis immediatè cognosci.

73. Ex dictis in hoc & præcedenti articulo eruditus Lector agnoscat, quàm altas doctrina Thomistarum asserentium Deum omnia in seipso ut in causa cognoscere, radices egerit, Patrum traditionem, & omnium scientiarum principia complexa, & quàm vani fuerint hæc tenus in ea convellenda Adversariorū conatus. Intelliget etiam, sententiam asserentem Deum futura contingentia in suo decreto cognoscere, non esse novum

71.
Disp. 4.
art. 4.
§. 2. m
solu.
ad 1.

72.

73.

Thomistarum inventum, ignotum antiquis Patribus, maxime D. Augustino & S. Thoma, ut P. Annatus in libro quem pro defensione scientia medix edidit, singulis ferè paginis objicit: cum uterque S. Doctor, locis supra adductis, non aliam agnoscat in Deo creaturas quascunque seu possibles seu futuras cognoscendi rationem, quam in seipso ut in causa; & Dionysius omnium Theologorum post Apostolos antiquissimus, hanc doctrinam clarissime & disertissime tradat. Sed mirum, quòd cum hæc de cognitione creaturarum in Deo controversia, tanti sit momenti ad constituendam aut evertendam scientiam mediam, eam tamen prædictus Author ne leviter quidem attingerit: sed hanc difficultatem, ex qua, ut supra ostendimus, omnino pendet positio vel destructio talis scientiæ, penitus dissimulaverit; quod non leve indicium est, adeo firmam esse nostram doctrinam, ut nihil possint Adversarij illi opponere, quod facile non excutiamus.

ARTICVLVS III.

An & quomodo Deus non entia, mala, singularia, & infinita cognoscat?

Præiusquam disseramus de causalitate divinæ scientiæ, & de modo quo Deus futura contingentia tam absoluta, quam conditionata cognoscit, breviter explicandum est, an, & quomodo non entia, mala, singularia, & infinita ab illo cognoscantur, de quo agit S. Thomas art. 10. 11. & 12. hujus quæstionis.

74. Dico ergo primò, Deum cognoscere non entia, seu figmenta, & entia rationis, quæ ab intellectu creato fabricantur, ea tamen nullo modo efformare.

Prima pars colligitur ex D. Thoma hic art. 9. ubi sic ait: *Deus cognoscit omnia quæ sunt in potentia creatura, sive activa, sive passiva: sive in potentia opinandi, vel imaginandi.* Sed entia rationis continentur in potentia intellectus creati, & in eo habent esse objectivum: Ergo à Deo cognoscuntur.

Confirmatur: Deus cognoscit omnes hominum cogitationes, etiam vanas, juxta illud Psal. 83. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vana sunt.* Ergo etiam cognoscit illarum objecta, quæ interdum sunt chimæ, & entia rationis.

75. Secunda pars conclusionis probari solet in Philosophia. Ratio fundamentalis est, quia formatio entium rationis derogat perfectioni divini intellectus: ille enim qui format entia rationis, apprehendit objectum aliter ac est in se, ex parte rei cognitæ; id est in re cognita apprehendit aliquid, quod reverà ei non convenit; putà relationem rationis in re absoluta ab omni respectu, vel distinctionem rationis in re omnino simplici: Sed hoc, ut constat, derogat perfectioni, & veritati divini intellectus, quæ consistit in adæquate cognitionis cum re cognita, id est, in eo quòd objectum cognoscatur eo modo quo est in se: Ergo efformatio entium rationis derogat perfectioni & veritati divini intellectus. Unde licet divina scientia se extendat ad entia rationis ab intellectu humano facta, vel factibilia: quia tamen talis cognitio est merè speculativa, nec apprehendit rem aliter ac est in se, vel non

A ens ad modum entis; sed solum videt non entia habere modum entis in intellectu creato, non format entia rationis. Sed hæc merces & tranquillitas, ad nuditas & Scholas Philosophorum remittendæ sunt: in his enim diutius immorari, nec vacat, nec expedit.

Dico secundo: à Deo cognosci omnia mala natura, pœnæ & culpæ, non per bonitatem increatam immediatè, sed per bonitatem creatam. 76.

Prima pars conclusionis est de fide, quam tamen videntur negare Averroës relatus à D. Thoma 1. contra Gent. cap. 71. & quidam Hæretici Albanenses, negantes Deum cognoscere peccata, nisi ex relatione Diaboli: quorum fundamentum potuit esse, quia in Scriptura Deus dicitur ignorare peccata.

Probatur primò ex Scriptura: dicitur enim de malis naturæ Sapientiæ 8. *Monstra scit, antequam fiant.* De malis pœnæ Amos 3. *Si erit malum in civitate quod non fecerit Dominus.* Et Proverb. 15. *Infernus & perditio coram Domino.* De malis culpæ Iob. 14. *Signasti quasi in sacculo delicta mea.* Et Deuteron. 32. *Nonne hæc condita sunt apud te, & signata in thesauris tuis? Ubi allusio fit ad sacculos litium, vel ad eos in quibus servari solebant pondera, Deuteron. 15.* 77.

Probatur secundo ratione desumpta ex Divo Thoma, loco citato. Bonum intellectus est verum: Sed verum habetur in cognitione mali; nam sicut verum est bonum dari, & esse profequendum; ita etiam verum est dari malum, & esse fugiendum: Ergo Deus mala cognoscit.

Confirmatur: Cognitio mali non est damnanda, nisi quatenus inducit voluntatem ad malum; nec est deformis, nec aliquam inducit turpitudinem: tum quia visio, aut pictura monstri, potest esse pulchra: tum etiam, quia ut Deus cognoscat mala, non debet illis assimilari, quandoquidem non cognoscit ea per propriam speciem illorum, & ut objecta formalia, sed tantum materialia.

D Probatur tertio: Deus perfectè cognoscit bona creata, ac proinde quidquid illis potest accedere, & opponi: Sed malum opponitur bono, & illud corrumpit: Ergo ut perfectè cognoscat bonum, debet malum cognoscere. 78.

Denique eadem pars suadetur. Mala culpæ Deus prohibet & punit tanquam iudex; mala autem pœnæ, & naturæ, efficit tanquam prima causa, & prouisor universalis, propter bonum, & conservationem universi, unde pertinet ad ejus providentiam: At quæ cadunt sub providentia Dei, cadunt etiam sub cognitione, & sapientia ipsius, aliàs Deus ageret modo cæco, & ignaro: Ergo Deus talia mala cognoscit.

E Unde quando Scriptura dicit, Deum non cognoscere mala, hoc intelligendum est, vel quia dissimulat, differendo punitionem, vel quia non cognoscit per propriam ideam, vel quia non cognoscit per scientiam approbationis, & operativam, maxime mala culpæ, ut supra annotavimus.

Major est difficultas circa secundam partem conclusionis, Zumes enim & alij Recentiores existimant, mala cognosci à Deo per ipsam essentiam, & bonitatem increatam immediatè. Sed opposita sententia communis est apud Thomistas: pro cuius intelligentia, & probatione secunda partis conclusionis. 79.

Observandum est primò: aliud esse quòd

unum non possit cognosci sine alio, aliud quod cognoscatur per illud: ratio enim v. g. non potest cognosci sine extremo, in quo tamen non cognoscitur, cum correlativa sint simul cognitione, & natura.

Observandum secundò, quòd quando dicimus, Deum cognoscere malum in bono creato cui opponitur, non intendimus bonum creatum, habere rationem speciei, vel objecti formalis, respectu intellectus divini, ad cognitionem mali; sed tantum quòd habeat rationem objecti materialis cogniti in divina essentia, & in eo sic cognito, ut objecto materiali, asserimus cognosci malum creatum. Sic ergo explicata secunda pars conclusionis

80. Probatur primò: Malum non potest cognosci, nisi in bono, & per bonum cui opponitur: Sed malum creatum non opponitur bonitati increate: Ergo non cognoscitur per illam, sed per bonitatem creatam. Major declaratur: vel enim malum consistit in privatione? & sic non potest cognosci, nisi per formam oppositam bono, vel consistit in aliquo positivo: & illud non habet rationem mali, nisi quatenus discordat à regula: Sed discordantia non cognoscitur, nisi per concordantiam; sicut Grammaticus non cognoscit incongruam locutionem, nisi per congruam: Ergo malum non potest cognosci, nisi per bonum cui opponitur. Minor etiam probatur: Si malum immediatè opponeretur Deo, & bonitati increate, deberet illi opponi, vel contrariè, vel privativè: Neutrum dici potest: Ergo, &c. Minor probatur: Tum quia opposita contrariè, vel privativè, nata sunt fieri circa idem: malum autem, & bonum divinum non habent commune subiectum. Tum etiam, quia malum diminuit bonum cui opponitur: bonum autem divinum potest diminui per malum.

Adde quòd, bonum expellit malum cui formaliter opponitur: Sed bonum divinum non expellit formaliter malum creatum, sed tantum effectivè; si enim formaliter illud expelleret, nullum daretur malum in rerum natura: sicut si daretur lux infinita, nullæ darentur tenebræ: eò quòd lux tenebras formaliter expellat: Ergo malum creatum bono divino, nec contrariè, nec privativè opponitur.

81. Probatur secundò eadem pars: Deus non cognoscit malum, nisi per ideam boni, ut docet D. Thomas quæstione sequenti art. 3. ad 1. Atqui Deus non habet ideam suæ bonitatis, sed tantum bonitatis create, quia non habet ideam, nisi factibilem: Ergo per suam bonitatem non potest cognoscere malum.

Quod diximus de malo naturali, dicendum est etiam de morali, scilicet de peccato: illud enim simpliciter cognoscitur à Deo per privationem rectitudinis debitæ inesse actui, in materia talis, vel talis virtutis: sive dicatur, quòd peccatum in privativo consistat, ut nonnulli docent: sive in positivo, ut alij probabilius sentiunt: quia illud positivum, ut dicemus in Tractatu de peccatis, non habet rationem completam constitutivi peccati, nisi per connotationem privativi; & sic ad cognitionem peccati semper istud requiritur.

82. Dico tertio: Deum cognoscere singularia, etiam materialia. Ita D. Thomas hinc art. 11. & Philosophus 1. de anima, & in 3. Metaph. ubi arguit Empedoclem, eò quòd cognitionem singula-

rium Deo denegaverit.

Probatur primo ratione D. Thomæ. Omnes perfectiones simpliciter simplices, quæ in creaturis reperiuntur dispersæ, sunt unitæ in Deo: Sed cognitio singularium est perfectio simpliciter simplex intellectus humani; melius est enim ea scire, quàm ignorare: Ergo illa reperitur in Deo.

83. Probatur secundò: Deus est causa rerum per suam scientiam, ut disputatione sequenti ostendimus: unde tantum se extendit ejus scientia, quantum ejus causalitas: At divina causalitas se extendit ad omnia singularia, & ad rationes non solum genericas, & específicas, sed etiam atomas, & individuales; quia Deus omnes suos effectus attingit sub ratione universalissima entis, quæ transcendentaliter includitur in omnibus gradibus, formalitatibus, & differentiis rerum creaturarum. Ergo ea omnia cognoscit.

84. Probatur tertio aliâ ratione D. Thomæ: Species per quam Deus omnia cognoscit, nimirum ipsa divina essentia, cum sit infinita in repræsentando, omnia cognoscibilia divino intellectui perfectissime repræsentat: ac proinde non solum secundum rationes genericas, vel específicas, sed etiam atomas, & individuales.

Denique, Cum cognitio quam Deus habet de creaturis, non sit purè speculativa, sed etiam practica, & factiva illarum, non esset perfecta, nisi ad singularia perveniret: nam cognitionis practice finis, est operatio, quæ in singularibus est, & circa singularia versatur.


Dico ultimò: Deum cognoscere infinita, non solum per scientiam simplicis intelligentiæ, sed etiam per scientiam visionis. Est etiam D. Thomæ hinc art. 12.

85. Prima pars probatur ratione quam ibidem habet. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ comprehendit suam omnipotentiam, & potentiam ac virtutem cujuslibet creature, ac proinde cognoscit omnia ad quæ illa potest se extendere: Sed divina omnipotentia, & potentia creature, possunt se extendere ad infinita, saltem in potentia, & sine categoricè: Ergo Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit infinita. Major patet, Minor probatur quantum ad utramque partem. In primis enim divina omnipotentia, cum sit simpliciter infinita, potest producere perfectiores, & perfectiores creaturas in infinitum: aliàs posset dari perfectissima creatura, quàm Deus posset producere, quod est absurdum; cum enim nulla possit dari creatura infinite perfecta (ut in Tractatu de attributis ostendimus) divina omnipotentia exhauriretur productione alicujus finiti, ac proinde non esset infinita simpliciter.

86. Probatur etiam Minor, quantum ad secundam partem. Nam in potentia intellectiva, & volitiva Angelorum & Hominum continentur infinite cogitationes, & affectiones cordium, quas Angeli, & Beati, successivè producent per totam æternitatem; quæ cogitationes, & affectiones, licet sibi invicem succedant, nec possint in propria mensura esse simul, in æternitate tamen simul existunt: quia, ut infra dicemus, æternitas ratione suæ infinitatis, & indivisibilitatis, simul, & in unico nunc, seu instanti indivisibili, continet, & ambit omnia quæ sunt successivè futura in propriis durationibus & mensuris. Ex quo probata manet secunda pars conclusionis, cum enim scientia visionis terminetur ad

res

res præteritas, & futuras, ut præsentis in æternitate, quæ est mensura divinæ cognitionis, & in illa, ut jam diximus, simul existant infinitæ cogitationes & affectiones, quas Angeli & beati elicient per totam æternitatem, sequitur, Deum cognoscere infinita, non solum per scientiam simplicis intelligentiæ, sed etiam per scientiam visionis.



DISPUTATIO III.

De causalitate Divinæ Scientiæ respectu creaturarum.

Explicatis his quæ pertinent ad existentiam, quidditatem, unitatem, & perfectionem divinæ scientiæ, modumque quod creaturas in essentia divina tanquam in causa, & medio cognito attingit, consequens est, ut ea quæ ad ejus efficaciam & causalitatem spectant, declaremus, & quatuor celebres difficultates, quæ hic agitari solent, breviter resolvamus. Prima est, an scientia Dei sit causa rerum, non solum directiva, sed etiam effectiva? Secunda, cuinam scientiæ talis causalitas & efficientia competat? An ei quæ dicitur simplicis intelligentiæ, vel illi quæ visionis nuncupatur? Tertia, an ideo res sint futuræ, quia sciuntur à Deo, vel è contra ideo ab illo sciuntur, quia futuræ sunt? Quarta, an detur in Deo aliqua potentia executiva, virtualiter ab ejus intellectu, & voluntate distincta?

ARTICULVS I.

An scientia in Deo sit causa rerum, non solum directiva, sed etiam effectiva?

§. I.

Præmittuntur quæ apud omnes sunt certa.

1. **S**uppono primò tanquam certum secundùm fidem, Deum per intellectum & voluntatem producere creaturas, ac proinde ejus scientiam omnium rerum causam existere, saltem directivam. Quam veritatem ex multis sacræ Scripturæ testimoniis probant Recentiores. Nobis sufficit illud Psalmi 103. *Omnia in sapientia fecisti.* Item Psalmi 135. *Qui fecit cælos in intellectu.* Et ad Ephesios 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Unde Dionysius cap. 7. de divin. nom. *Scientia divina omnium est artifex, & semper omnia componit, estque causa indissolubilis coherentia, & ordinis omnium, sineque priorum, cum sequentium principis semper connectit, & unam universi conspirationem, concentumque pulcherrimum efficit.*

2. **P**robatur secundò eadem suppositio, ratione Tractatu primo deductâ, demonstrando existentiam & intellectualitatem Dei. Agens primum ordinare debet & dirigere res universi, ut ibidem demonstravimus: Sed hoc non potest, nisi per scientiam, & sapientiam, sapientis enim est ordinare: Ergo scientia in Deo est causa rerum, saltem directiva.

Præterea ut docet D. Thomas hic art. 8. scientia Dei respectu creaturarum, se habet sicut scientia artificis respectu artefactorum: At hæc est causa operis, saltem directiva: Ergo & scientia Dei.

3. **E**andem veritatem demonstrat idem S. Doctor Tom. 1.

1. **C**ontra Gentes cap. 27. novem rationibus, quarum hæc præcipua est. Perfectissimo agenti attribui debet perfectissimus modus operandi: Sed ille modus est operari per scientiam & voluntatem, agens enim naturale, non agit cum domino suorum actuum, sicut agens intellectuale; nec ejus virtus se extendit ad plures effectus specie diversos, sed determinatur ad unum; ex quo fit quòd naturalia uniformiter, & uno modo semper eveniant: Ergo Deus cum scientia & libertate ad extra operatur, subindeque ejus scientia, directivè saltem, ad productionem rerum concurret.

4. **C**onfirmatur: Agens naturale debet ab alio dirigi, ut finem attingat, quem non cognoscit: sicut sagitta, ut attingat scopum debet dirigi à sagittario: agens vero intellectuale, seipsum dirigit, & sibi præstituit determinatum finem: Ergo modus agendi agentis intellectualis, perfectior est modò agendi agentis naturalis.

Hoc præsupposito, inquirimus, an præter vim illam directivam, quam omnes attribuunt divinæ scientiæ, vera & propria causalitas, & efficientia respectu creaturarum, illi conveniat: quod ut plerùm innotescat.

5. **S**uppono secundò quòd ad formationem artificiatum, scientia, voluntas, & vis executiva concurrunt: scientia dirigendo, voluntas movendo, vis executiva exequendo: quod in artifice creato conspicitur, qui si domum verbi gratiæ est ædificaturus, priùs scientia præconstituit finem, quem voluntas appetit: mox intellectus consulit de mediis, & domus fabricandæ meditatur naturam; voluntas eligit media præconscripta, & movet intellectum ut imperet: ad imperium sequitur vis activa, applicans vim executivam ad opus, ac denique sequitur executio. Quæ omnia à creato artifice, per distinctos actus & potentias fiunt.

6. **Q**uærimus ergo, an scientia Dei practica, non solum directivam præter concursum, in productione creaturarum, regulando opus, ostendendo finem, & modum illas producendi; sed etiam efficienter in illas influat, vel applicando potentiam executivam ad opus, vel immediatè imperando earum productionem?

Partem negativam tenent plures Recentiores extra Scholam D. Thomæ, qui divinæ scientiæ attribuunt solam vim directivam in productione creaturarum; earum verò efficientiam, volunt immediatè procedere, vel à voluntate Dei, vel ab aliqua potentia executiva, virtualiter ab ejus intellectu, & voluntate distincta. Thomistæ verò & plures alij docent scientiam non solum dirigere Deum in productione creaturarum, sed etiam imperare, & exequi immediatè earum productionem, per actum imperij formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem, quod ad eas immediatè dirigitur: unde nullam aliam potentiam executivam in Deo agnoscunt, quam ejus intellectum practicum, ut constabit ex dicendis articulo quarto.

§. II.

Hæc sententia ut verior & probabilior eligitur.

7. **D**ico igitur: Scientiam in Deo esse causam rerum, non solum directivam, sed etiam effectivam.

Probatur primò ex Scriptura, dicitur enim D d